



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 28. Altera Nestorii ad Papam Epistola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

metes, *Acoimetai*, quod græce vigi- Sæculum V.
lantes significat, seu homines, nunquam A. C. 430.
dormientes, quia semper una Communi-
tatis illius pars vigilabat. Cum non la-
borarent, nec alia bona, quam libros suos,
possiderent, omnes mirabantur, unde su- *Nil ap. Va-*
les. in Theod.
stentari possent, atque inde suspicio in *IV. c. II.*
eos cadebat, esse Secta Massalianos. Ale-
xander bis custodiæ traditus; cogere vo-
luerunt, ut Psalmodiam perpetuam inter-
rumperet: ejus Discipuli in illa, unde
venerant, Monasteria dimissi, ipse liber-
tati redditus, quod crederent, solum re-
mansurum; at eadem die, qua e custo-
dia exiit, Monachi ejus, ad Magistrum
redeentes, Psalmodiam restaurarunt.
Cum ipsis Alexander ad ostia Ponti Euxi-
ni profectus, Monasterium fundavit, ibi-
que circa annum 430. rebus humanis
ereptus est.

§. XXVIII.

Altera Nestorii ad Papam Epistola.

Sub finem mensis Nov. anno 430. & post *ap. Mercat.*

Concilii Ephesini convocationem, Ne- *Garn. p. 80.*

storius ad S. Cœlestinum Papam episto-
lam dedit in hæc verba: *Comperi, Vene-*
rabilem Cyrillum, Episcopum Alexandri-
nus, accusationibus, quæ nobis contra eum
oblatæ, territum, quærere modum, quo ju-
dicium S. Concilii quod ad accusations
contra ipsum discutiendas celebrabitur, de-
clinet,

Sæculum V. clinet, & verbis tricari, videlicet vocib⁹
 A.C. 430. THEOTOCOS, & CHRISTOTOCOS, quarum
 unam admittit, & alteram rejicit, quamvis & hanc non nunquam admittat. Ego
 vero illis, qui volunt dicere Theotocos,
 non adversor, si modo in illo sensu non ac-
 cipient, quo Arius, & Apollinaris, & Na-
 turas non confundant. At præferre non
 dubito vocem CHRISTOTOCOS, qua & An-
 geli, & Evangelistæ usi sunt. Nimirum
 textibus S. Scripturæ nitebatur, ubi, si de
 Nativitate in tempore Filii Dei sermo sit,
 JESUS, seu Christus vocatur. Tum sub-
 jungit: si consideremus duas Sectas sibi op-
 positas, quarum una utitur voce THEOTO-
 COS, nempe Secta Arii, vel Apollinaris,
 altera solum voce: ANTHROPOTOCOS, nem-
 pe Secta Pauli Samosateni, quia prima Ma-
 riam dicit, tantum Matrem Dei, & secun-
 da tantum Matrem hominis, an non pru-
 dentiæ est, viam tentare, qua hos, & illos
 ad saniora reducamus, si Nomen adhibe-
 mus, quod utramque Naturam significat?
 hoc autem præstat Nomen: Mater Christi,
 CHRISTOTOCOS. Hæc ad Episcopum Ale-
 xandrinum perscripsi, ut ex epistolis, quas
 tibi mitto, cognoscas. Cæterum placuit
 piissimo Imperatori Concilium œcumeni-
 cum indicere, quo aliae causæ Ecclesiastica
 tractentur, nam quantum ad hanc litem,
 quæ de vocibus movetur, pertinet, non
 puto difficilem esse quæstionem. Conjice-

re

re licet, Nestorium hanc epistolam mi- Sæculum V.
fisse unacum illa Imperatoris, qua Con- A.C. 430.
cilium œcumenicum convocabatur.

§. XXIX.

Nestorii Sermones ultimi.

Interim, cum quatuor Episcopi, a Conci-
lio Alexandrino Legati, Constantino-
polim pervenissent, die Dominica in Eccle-
siam Cathedralem se contulerunt, tempo-
re, quo officium celebrabatur, toto Cle-
ro, & ferme omnibus, qui illustrissimi di-
cebantur, præsentibus. Hæc Dominica
erat dies trigesima Novembris ejusdem
 anni 430. Nestorio epistolas S. Cyrilli, *Conc. Ephes.*
& S. Cœlestini tradiderunt; accepit ipse, *Ad. I. p. 503.*
dicens, sequenti die in domum suam ad
se venirent; ipsis vero venientibus clau-
fas fores objecit, nec ullum dedit respon-
sum. Elapsis diebus sex, octavo Idus *ap. Meret.*
Dec. id est, sexta hujus mensis, quæ erat *Garn. Serm.*
dies Sabbati, Nestorius in Ecclesia Sermo- *12. v. not.*
nem pronuntiavit, qui *Baluz. pag.*
Doctrinæ ejus *422.*
compendium dici possit. In S. Cyrrillum
vehementissime invehitur, quem non no-
minat, sed voce Ægyptii satis designat.
Ipsum ad certamen provocat, & incusat,
quod se sagittis aureis impetat; vult di-
cere, quod pecunia accusatores coemat;
sed hujus ipsius criminis Nestorius argue-
batur, memorat inimicitias inter Episco-
pos Alexandriæ, & Antiochenos, jam a *Libell. Basil.*
Hist. Eccles. Tom. VI. F *n. 4.* supe-